DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE GULIELMO ROBERTSON.

PROŒMIUM.

Omnibus ex morbis qui in coelis calidis milites et nautas affligere solent, nullus est fortasse exitiosior, vel qui magis curam tum imperatorum, tum medicorum exigat, quam Dysenteria.

In insulis Mediterraneis (Minorcâ, Melitâ, et Siciliâ) apud exercitum Britannicum complures annos occupatus, et multis occa-



sionibus datis, ejus symptomata videndi, etiamque cadavera eorum, qui hoc morbo nosocomiis militaribus perierunt inspiciendi, pauca de Dysenteria hic scribere in animo est. In verba tamen, accuratissimi Cleghorn, et Irvine potius testimonium allaturus, quam aliquid novi ad scientiam quam de iis accipimus adjiciendi, spe adductus.

DEFINITIO.

Cullenus hunc morbum definit his verbis, "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes, mucosae, vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis; tormina, tenesmus." Syn. N. M. tom. 2. XLI.

Pro "Pyrexia contagiosa" fortasse "morbus contagiosus" melius fuisset dic-

tus; nam, tametsi Dysenteriam esse contagiosam vix dubium, nihilominus, febrim remittentem eam comitari haud raro vidimus; nonnullos etiam, febre vel nulla comitante, vel saltem obscura afficit. Interdum porro, paulo post morbi ingressum, febris prorsus cessat, Dysenteria ipsâ terminum versus funestum progrediente. Alteram autem partem, definitionis celeberrimi nostri Culleni, omnino comprobamus.

HISTORIA MORBI.

Dysenteria fere incipit, à dolore capitis, vertigine, nauseâ, inflatione, gravitatis sensu, et alvi dolore obtuso; nonnunquam tamen, morbus inopinato grassatur, cum tenesmo, et dejectionibus, plerumque sanguinolentis, dolores vehementes, dextra magis parte superveniunt, cum vomitu frequenti, praecordiorum gravi anxietate, do-

loribus in hypochondriorum regione, et circa umbilicum permanentibus. Faeces muco spumoso et sanguine commistae dejiciuntur. Frigor, calorque, corpus vicissim pervadentes, febrim manifestant, quae interdum intermittentis vel remittentis, sed saepius typhodis speciem induit. Frequens dejiciendi cupiditas est, cum torminibus et tenesmo gravibus, interdum levatis, dejectione durarum massularum, quae (medicorum lingua,) scybala vocantur, quanquam morbum sine his dejectionibus saepe vidimus. Odor profluvii sibi proprius, et maxime foetidus est. Lingua muco albo, subflavo, subviridi, aut rufo obducitur, et valde foetit spiritus; saliva amarescit, pulsus arteriarum raro quam nonaginta intra horae sexagesimam partem pauciores; sitis maxime ingens; cutis valde arida; urina rubra, et haud raro foetida; appetitus nullus; oculos fugit vocatus nequicquam somnus. Haec omnia symptomata, in pe-

jus ruunt; dolores abdominis ingravescunt, cum tensione tympanitica: dolet etiam abdomen, manû quam levissime impositâ. Sudor gelidus faciem et collum illinit. Alvi dejectiones frequentiores, et parciores, cruori haud absimiles, sine ullis faecibus alvinis redduntur. Febris nunc typhoden typum verum, cum vibicibus petechiisque induit. Arteriarum pulsus intermittunt, vel prorsus cessant; tenesmus vix tolerabilis fit, et materiae corruptae nigraeque vomitus, et urinae suppressio superveniunt. Semioperti sunt occuli, labiis dentibusque, crusta nigra et crassa obducitur; moribundus, in lecto delabitur, subitoque quasi diminutus videtur. Denique, totius corporis frigor, doloris cessatio, singultus, aquae foetidae ab ano dejectio, tendinum subsultus, pulsuum cessatio, et coma mortem denunciant.

Cum morbus, è contra, in secunda valetudine terminat, dolores abdominis imprimis levari solent, dein dejectiones frequentes, tenesmus, et febris, dum faeces naturales se manifestant. In exemplis rarissimis, hic morbus subito tollitur, aegro tenuato, et debili manente; saepius autem, post terminationem reliquorum symptomatum, per longum tempus perstat diarrhoea.

Dysenteria non tempore certo finitur, ubi graviter et funeste urget, plerumque inter septimum et decimum quintum diem, aegrum tenuatum tollit: sed cum symptomata sunt leviora, haud raro per complures menses protrahitur, et tum Dysenteria mucosa, vel alba solet dici; aliquando, in diarrhoeam, hydropen, aut rheumatismum, ut aiunt scriptores, transit *.

* Vide Baker, de Dysenteria Lond. p. 21.

Signa omnia supra memorata, prout communia, vel propria haberi possunt, alia autem nonnunquam occurrunt, quae nunc narrare oportet.

Magna spirandi difficultas hunc morbum comitari observata est, cum apthis non raris in ore et faucibus*; atque humores qui sitim expleant, assumpti, aegro ipsi per alvum, tanquam per colum, protinus perfluere visi sunt †. Febres haud raro in Dysenteriam transeunt, at rarissime haec in illas terminat ‡. Quum vibices, petechiae, et febris typhodes, Dysenteriam comitantur, ea, ut saepe vidimus, plerumque lethalis est. In cutem eorum qui graviore Dysenteria implicantur, vesicae sero impletae hic illic

* Vide. Cleghorn on the Diseases of Minorca, Chap. V. p. 245.

† Vide Hunter on the Diseases of Jamaica, p. 222.

‡ Vide Moseley on Tropical Diseases, p. 214.

apparuerunt *, et ulcera, non facile sananda. Saepe in stadiis postremis Dysenteriae, delirium accidit, et infantes nonnunquam sopore opprimuntur. Tantum sanguinis aliquando dejectum fuit, ut Dysentericus, ab exinanitione perierit †. Non raro accidit, ut filimenta tunicae villosae intestinorum, sanguine et pure commista, et corpora pinguia, caseo non absimilia dejiciantur. In Dysenteria, prout in multis aliis morbis, vermes supra et infra reddi solent. Vomitus qui Dysenterici saepe vexantur, juvat, quanquam scriptoribus quibusdam aliter videtur ‡. Notatur in Dysenteria, appetitum non semper esse diminutum, interdum etiam voraciorem fuisse ||. Urina in hoc morbo varia: aliquando rubra, et par-

* Vide Zimmerman on Dysentery, p. 4.

† Vide Moseley, p. 228.

‡ Vide Richter's Med. and Chirurg. Observ. p. 99.

|| Vide Duncan's Annals of Medicine, Vol. I. p. 46.

ca, foetida, nigra, cum ardore, et dolore inter reddendum, filamentis tunicae internae vesicae simul redditis; nonnunquam per complures dies non secernitur *. In Dysenteriis fere omnibus observavimus, die fugiente, tenesmum, tormina et febrim ingravescere.

CADAVERIS INCISIO.

In cadaveribus multis à nobis incisis, eadem fere vestigia morbi visa. In exemplis Dysenteriae gravissimis, haec signa morbida post mortem, saepius apparuerunt. Intestina pleniora, praecipue sinuatum et rectum, inflammationem, erythematicam dictam, subiisse, et tunicas crassas et contractas habere videbantur. Haec intestina quidem, saepe excidimus, sphacelo et pu-

* Vide Schroeder. Opusc. page 337.

rulentia affecta, et hic illic tuberculis obsita. In paucis cadaveribus, intestina crassa, ulceratione penetrata erant, et sanies sanguinolenta in abdominis cavitate effusa. Intestino crasso in aqua calida macerato, et digito leniter tacto, pustulae innumerae perceptae fuerunt, et tunica interna ex quovis magno tuberculo abrasa, sedes circularis, inflammata, et dura, apparebat, ex qua pressa, parvus nodulus albi coloris exsiliebat. In quibusdam intestini partibus, maxime in iis prope anum sitis, hae pustulae ita erant confluentes, ulcerataeque, ut eum referebat, quod Linnaeus vocat, "Scabies intestinorum interna * ". In cadaveribus duobus, intestina ilia sub finem, sphacelato affectum, hepataque indurata, et

* In Amoenitat. Acad. tom. V. diss. 82. Vide etiam John Hunter on the Diseases of Jamaica, p. 230. —Pringle, 245—Cleghorn, 245—Baker de Dys. Lond. 38. ad 47.

justo multo ampliora invenimus. Ex unius vesica fellis, novem concreta prismatica, et multangula erant extracta: hic, in Egypto militaverat, et in nosocomium primo admissus, cutem omnino colore flavo imbutam habuit. In plurimis Dysentericis quidem, à nobis curatis, hepatis functiones multo erant impeditae, neque mirum, in hoc morbo ubi viscera chylopoetica fere omnia plus minusve, sive morbo ipso, sive consensu, implicantur. Intestina incisa, inspicientes odore huic malo proprio opprimuntur; purulentiae non est foetor, nec gangraenae, sed foetor sui generis qui vomitum saepe excitat, quique semel sensus fuerit, pro hujus morbi prole, facile cognoscitur. In Dysenteriis levioribus, intestina vix aliter quam sana sunt, in quibusdam locis fortasse, crassa, sed sine aliis inflammationis, aut ulcerationis, vestigiis.

DIAGNOSIS.

Dysenteriam inter graviorem et alios morbos facilis est diagnosis; sub forma autem leviori, à colico dolore, cholera, diarrhoea, et haemorhoide difficilius distinguitur Dysenteria; à hemorhoide, tormina, tenesmus, et mucus eam satis distinguunt, sed cum diarrhoea, majorem affinitatem habet: altera in alteram saepe transit; porro, in diarrhoea, frequens nisus, et dejiciendi cupiditas, inflammationem, vasorum laesionem, muci vitiosi secretionem, abdominis dolores, et Dysenteriae fere indicia omnia inferunt. Sed morborum eodem tempore grassantium, et febrium eos comitantium investigatio diligens, certam plerumque diagnosin docebunt, nam diarrhoea, cholera, vel colico dolore afflictum, nunquam fere, nisi diu aegrotaverit, invadit febris. In diarrhoea, dejectiones plerum-

que sunt copiosae et quales homines sani excernunt, et foetor Dysenteriae proprius abest. In colico dolore, alvus nihil reddit, et dolor, modo supra, modo infra umbilicum vel hic illic, maxime torquet. Surarum spasmi, vomitus frequens, pulsus arteriarum fere naturales, choleram à Dysenteria satis distinguunt.

CAUSAE REMOTAE.

Omnes homines huic morbo sunt obnoxii, sed in locis quibus in magnis catervis se congregant, ut in castris, in classibus, in nosocomiis, et in carceribus maxime saevit Dysenteria. Omnibus anni tempestatibus, sed multo saepius aestate, autumnoque invadit. Omnibus regionibus grassatur; in coelis autem calidis, et locis eorum paludosis, est humano generi maxime funestus, et praecipue eo anni tempore, quo dies icti-

bus fervidi solis ardent, et noctes humido rore frigent. Hiemem fugit morbus, vereque incipiente, salus redit. Illi maxime opportuni sunt, qui vitam dissolutè egerunt, quorumque ventriculus et intestina, potatione immodica liquorum meraciorum debilitata, et qui à morbis gravibus, febribus praecipue remittentibus infirmati. Caloris, frigoris, et humiditatis alternatio, praecipue in regionibus calidis, ex causis remotis frequentissimis habetur. Milites et nautas post longam navigationem in terram descendentes, valdè affligere solet. Dysenteriam, febrim intermittentem, et forte choleram, ex iisdem causis gigni videtur. Dysenteria enim, iisdem coelis et anni temporibus, quibus intermittens remittensque, et cholera maxime urget, et saepe alia in aliam transeunt. Ex militibus nostris, plurimi Dysenteria, quidam febre intermittente, alii et intermittente et Dysenteria eodem tempore afflicti: qui maximè Dysen-

teriae, iidem et febri intermittenti valdè obnoxii. Celeberrimus Lind, eas Dysenterias quae sub finem febris intermittentis oriuntur, symptomaticas nominat *.

Quidam hunc morbum ex tabo pestilente speciali semper oriri putant; sed de qua fonte unde hoc tabum fluit, et de natura ejus, nil pro certo scimus; et ex observationibus Doctoris Chisholm † febrim ex cadaveribus animalium putridis, vel nunquam oriri, vel si oriatur, saltem non contagiosum existere satis constat. Dysenteriam quidem, ex quibuscunque causis ortam reverâ esse contagiosam nullus dubito; sed ex tabo speciali pestilenti non semper oriri etiam, ex sequentibus observationibus, verisimile nobis videtur. Haud raro accidit inter homines miseros à littore Africano

* Vide an Essay on the Diseases of Hot Climates, p. 261.

† Edin. Med. and Surg. Journal, Oct. 1810.

raptos, secunda valetudine fruentes, plurimos ante descensum in colonias transatlanticas Dysenteria prostratos fuisse; et nosmetipsi, nautas ab Aegaeis oris, Propontaicisque saepe vidimus, qui in altum vela dabant sani, sed qui Minorcam, et Melitam appulsi, fere omnes hoc morbo, vel febribus intermittentibus affligebantur. In nostra etiam insula, non raro occurrunt exempla, hujus morbi sporadica, hieme, ex frigore orta.

CAUSA PROXIMA.

Cullenus causam proximam hujus morbi constrictioni attribuit, sed retentio sola, certè Dysenteriam non potest gignere; in colica pictonum faeces retentur, sed symptomata Dysenteriae absunt, et haec porro, nonnunquam in diarrhoeam transit. Non dubium est, quin constrictio intestinorum

existat tamen inflammationem partem non parvam in causa proxima habere credimus. Res autem obscura est, nec omnium hujus morbi signorum rationem reddere licet: neque de spasmo, neque de inflammatione, doctrinae huic muneri sufficiunt.

PROGNOSIS.

Medicus prudens securitatem in hoc morbo raro audebit pollicere, quippe qui nunquam fere à periculo vacat.

Senibus et infantibus fere semper lethalis est, puerperisque etiam, quanquam Haller aliter putet *. In convalescentes quoque, Dysenteriam saepe et funestè redire vidimus: pro severitate symptomatum, pro gravitate et febris putridine, et praecipue,

* Dissert. ad Med. prac. pertinent, tom. 3. p. 410.

pro debilitate aegri, in futurum praesagiri oportet.

RATIO QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

Intestinorum inflammationem, potiùs quam spasmum, pleraque symptomata inducere videtur. Non nobis liquet, quomodo caloris, frigoris, humiditatisque alternationes, vel contagio ipsa, certas intestinorum partes afficere possint; sed aliae quaedam contagiones membranam mucósam invadunt, et Cullenus sub eodem ordine, catarrhum et Dysenteriam posuit. A quibusdam etiam auctoribus, Dysenteria nihil aliud quam catarrhus, vel rheumatismus, in intestina versa habita est.

Profluvium muci ex inflammatione tunicae villosae oriri videtur, unde reliquae

tunicae inflammatione correptae, tuberculis, vasorum erosione, et gangraena afficiuntur.

A spasmo et inflammatione faeces retinentur, et tenuoribus partibus absorptis, excrementa gibbosa, scybalae vocata, formantur. Tormina et tenesmus, (quae saepe vehementer vexant) ab iisdem causis excitantur. Urinae suppressio, plerumque ab irritatione, à recto ad vesicam, ob consortium quod inter eas partes existit, translata, oritur. Membranae quae in hoc morbo ejiciuntur, tunicae villosae intestinorum portiones esse existimantur, purulentia et gangraena dissociatae. Dubium est, an corpora pingua, et sevosa, in Dysenteria ejecta ex muco inspissato, an, ex portionibus diaetae lacteae plerumque in Dysenteria praescriptae formentur.

RATIO MEDENDI.

In hoc morbo curando, medicamenta cathartica, omnibus anteponenda.

Initio morbi, quo tempore nausea saepe urget, invenimus vomitum a Tartride Antimonii excitatum, multum prodesse; et si alvus simul moveatur, eo utilior erit ejus effectus; sed quando in morbo vetustiore debilitas supervenerit, emeticis vix uti licet. Ad purgationem movendam, optimi sunt Sales Neutri, (hujus vero generis medicamenta nominatim memorare non opus est,) sed his non pollentibus, auxilium ex medicamentis acrioribus petendum, quorum irritatio, ei quam morbus excitat, minime est comparanda. Jalapa, Submurias Hydrargyri, cum quovis aromatico commista, ventrem expurgant, cum sales neu-

tri non respondent, sed cathartica mitiora, *e. g.* Infusum Sennae, Oleum Ricini, Manna, et similia, plerumque anteponenda sunt.

Ipecacuanha, et Tartris Antimonii, portionibus parvis, et si hoc utamur, non nisi intervallis longis, saepe pro catharticis feliciter fuerunt exhibita.

Enemata etiam ex amylo, oleo, et opio composita, ad intestina delinienda, et irritationem compescendam, permultum opitulantur. Ex uno cathartico alvum satis evacuari non sperandum; opus erit ideo, iterum assumere, iterumque; sed si debilitas adsit, inter singulas doses, opiatum interponere oportet: nisi autem a catharticis soluta fuerit alvus, ab opio omnino abstinere satius est; quam, quod, alvâ nondum expurgatâ, morbum intendat, assumere. Nonnulli autem auctores dicunt *, opium

* Vide Sydenham, p. 185. Richter Observ. p. 108.

nullum detrimentum Dysentericis afferre, sed usus satis docuit in principio saltem, ventre nondum expurgato, id maxime nocere.

De sudore movendo, ut revulsio quadam efficiatur, tam solicitè à docto Mosely laudata, ex propria experientia, nihil possumus dicere *.

Sanguinis missio, praecipue in regionibus callidis, remedium anceps, et nisi cum diathesis phlogistica vehemens, et synochae symptomata urgeant, vix tentanda. Invenimus fere semper, febrim quae Dysenteriam comitatur, tam manifesta debilitatis vel putredinis indicia prae se ferre, ut sanguinis detractionem omnino prohibeat.

* On the Diseases of Tropical Climates, p. 230.

De demulcentibus, ut appellantur, perpauca memorare opus: ex his, mucilagines oleis anteponendae; amylum, farina, gummi mimosae niloticae, et similia, variè commiscere licet, et certè prosunt, tamen ea invenimus minus utilia, quam laudes scriptorum, nos expectare inducerent. Cerum cum sapone trituratum etiam adhibitum est.

De astringentibus—Medicamenta quae alvum astringunt impunè non possunt assumi, nisi in diarrhoea illa Dysenteriae superveniente, cum opium, et vina rubra sunt astringentia optima. Cinchonae cortex, ut compertum est, apthas linguam, longa Dysenteria laborantium afficientes sanat *; sub forma decoctionis in hoc morbo adhiberi debet †. Aluminis solutio ‡,

* Vide Whyte's Edinburgh Physical and Literary Essays, Vol. III. p. 366.

† Moseley on Tropical Diseases, p. 236.

‡ Monro on Diseases of the Army, p. 82.

Balsamum Copaibae *, Vitriolum Album, in aqua solutum †, et Aqua Calcis ‡, contra Dysenteriam vetustiorem, multum pollere putantur. Hydrargyrum ita assumptum ut totum corpus excitet, alii laudant ||, alii parvi pendent §, sed cum Opio consociati, et pro Cathartico dati, saepe praestantissimos ejus effectus observavimus in hoc morbo, tum recente, tum vetusto.

In Dysenteriis omnibus, subucula lanea, funiculis constricta, itaque induta ut intestina sustineat, et foveat, multum prodest, ut experientia saepe repetita cognovimus; et Dr. Irvine ¶, lanam Oleo Terebinthinae

* Monro on Diseases of the Army, p. 86.

† Moseley, p. 586.

‡ Granger, Edinburgh Physical and Literary Essays, Vol. II. p. 281.

|| Clarke on the Diseases of Seamen, Vol. II. p. 340.

§ Trotter's Medicina Nautica.

¶ On the Diseases of Sicily, chap. 8.

madefactam, abdomini super impositam commendat.

Aeger calidum vestitum induere, et frigori et humiditati cavere, sedulò debet. Quum ventriculus fere semper in hoc morbo dyspepsia affectus sit, diaetam ex iis quae concoctu facilia sunt, constare oportet, qualia sunt, Lac, juscula quibus caro vitulina, vel ovilla, cocta sint, et fructus maturi. Aegro convalescente, multa cura adhibenda est, " Nam," ut ait Celsus, " facile id malum redire consuevit; et cum " frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene " jam confirmatis intestinis, revertitur *."

* De Medicina, Lib. IV. cap. xvi.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.